

## CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

### *Level One Medieval Latin Examination*

**13 April 2020**

\*\*\*\*\*

Translate ALL FOUR passages; each question will be given equal weight in the final assessment.

You have three hours to complete the exam. The use of dictionaries is NOT permitted.

\*\*\*\*\*

#### **1.      Vanity of vanities, and all is vanity**

Ego Ecclesiastes fui rex Israhel in Hierusalem, et proposui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Vidi, quae fiunt cuncta sub sole, et ecce: universa vanitas et afflictio spiritus. Perversi difficile corriguntur et stultorum infinitus est numerus. Locutus sum in corde meo dicens, “Ecce magnus effectus sum et praecessi sapientia omnes, qui fuerunt ante me in Hiersualem, et mens mea contemplata est multa sapienter et didicit”. Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque et stultitiam, et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia sit indignatio, et qui addit scientiam, addat et labore. Dixi ergo in corde meo, “Vadam et affluam deliciis et fruar bonis”, et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, “Quid frustra deciperis?”

## **2. Statutes to stop students from being bad boys**

Primo statuunt quod quicumque socio suo verba opprobriosa, injuriosa aut contumeliam intulerit, solvat burse unum francum et injurias passo satisfaciat secundum dicta sociorum; quod si noluerit, recedat a societate et a domo. [...] Item, nullus meretrices infra domum introducat. Quod si fecerit, solvat burse unum francum, et carebit omni jure quod habuit vel habet in utensilibus et in provisionibus pro tempore factis, et a domo recedat, nichilominus pro domo et famulo de anno soluturus. [...] Item, nullus in aliquo loco infra portam nisi in latrinis mingat, vel in potto, ipsum postea ad latrinas deportando, propter malos fetores evitandos, nec alias immundicias quascumque ibidem ponat. Quicumque autem fecerit, juxta dicta sociorum emendabit. [...] Et ego Siggo Odonis, predicte domus procurator, propria manu me subscribo, volens et sub bona fide promittens me omnia et singula suprascripta inviolabiliter observare.

## **3. The year 1009: The fate of the English fleet**

Hic paratę sunt naues, quarum tanta fuit multitudo quanta antea non sunt uisa in Anglia, et ductę sunt omnes Sanduuic, ut ibi deberent defendere Angliam contra exteras gentes, sed sicut sepe ante factum est, ita quoque et hoc ad nichil omnino deuenit. Hoc eodem tempore Brihricus, frater Eadrici ducis, accusauit quandam nobilem uirum nomine Wlnoðum, patrem Godwini ducis, apud regem. Qua de causa idem Ulnodus, exiens Anglia, cum XX nauibus deuastauit australē partē Anglię. Tunc cogitauit iam dictus Brihricus adquirere sibi laudem et accepit secum de nauibus regis LXXX naues et putabat se posse Ulnodum uiuum aut mortuum capere. Sed cum nauigassent ad illas partes ubi illum esse putabant, tanta tempestas facta est, ut totum nauigium Brihtrici deperiret et naues ad litus projectę sint; et miseri homines qui remanserant in nauibus uacui redibant. Tunc uenit iam dictus Ulnodus et combussit omnes naues. Hoc audito, rex, dimisso nauigio, rediit Lundoniam. Sic periit pro nichilo labor totius populi.

#### **4. Masticate, meditate: Some similarities**

Multas proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus, et ita dimittit in stomachum: sic et cum audimus omne uerbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, et uidere quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticauerimus dentibus, non sentimus saporem eius: ita et uerbum quod audimus, nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere uirtutem uerbi illius. [...] Et sicut cibum postquam masticauerimus, dimittimus in stomachum: ita et uerbum postquam bene tractauerimus, commendamus ipsum memoriae quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem uerbum, nisi cum fuerit intellectui et memoriae traditum. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducauerimus, et iterum euomimus eum de stomacho: sic nihil in nobis prodest uerbum, quod audimus, et obliuiscimur illico.